

diutissime fortunare pergat. Interim tua bonitate confisi, Regiæ tutelæ præsidium, quod jam inde ab initio regni tui toties experti sumus, in posterum etiam nobis impendi obnixè postulamus, Rex Clementissime, quidquid perinde habuerimus, quidquid ipsi fuerimus, tuum id omne reputaturi.

Sacræ Majestati tuæ

Devotissimi ac fidelissimi
clientes et subditi,

Parisiis, e Monasterio S. Germani a Pratis,
cal. januarii, an. 1679.

MONACHI BENEDICTINI CONGR. S. MAURI.

IN NOVISSIMAM

S. AUGUSTINI OPERUM

EDITIONEM

PRÆFATIO GENERALIS.

Cum primum Congregationis nostræ Præpositi fratres nostros ad studia litterarum applicare censuerunt, ea potissimum ab eis delecta sunt studia, quæ plus utilitatis præ se ferrent, quam ostentationis; et quæ religiosæ solitudini et conversationi magis convenirent. In eo genere nihil aptius aut opportunius eis visum est, quam recognitio et editio nova sanctorum Patrum, cum Latinorum, tum Græcorum: propterea quod et exercitatio ipsa per sese maxime conduceret ad lectitanda et meditanda eorum scripta, in quibus vera et sincera Ecclesiæ doctrina ac pietas consistit; et non pauca nobis adjumenta suppeterent ad id operis suscipiendum et exsequendum. Atque ut quibusdam veluti gradibus ad hunc laborem, magis arduum certe ac difficilem, quam splendidum, fratres nostri idonei et parati sensim redderentur, a quibusdam veluti rudimentis initium ductum est, scilicet ab editione selectorum Opusculorum sanctorum Patrum; dein ab integris scriptis aliorum, donec tandem ad opera sanctissimi doctoris Augustini ventum est: quibus emendandis et recognoscendis ut operam impenderemus, multi Ecclesiæ illustrissimi præsules, necnon etiam togæ principes viri auctores nobis et instigatores fuere. E primis fuit illustrissimus Franciscus Harlæus Parisiorum nuper archipræsul, qui hujus operis patronum et fautorem semper se præstitit: e secundis Guillelmus Lamonius Senatus Parisiensis quondam princeps, qui, pro sua in litteras litteratosque benevolentia, typographicam nobis domesticam officinam a Rege impetrare et procurare voluit, ut hæc editio in privatis ædibus commodius et facilius procuraretur. Verum hac conditione, quantumvis in speciem opportuna, ob varias causas, quas commemorare nihil juvat, minime admissa, institit nihilominus Præses illustrissimus, institere et alii quam plures diversorum Ordinum spectatissimi viri, ut tantæ molis opus subire ne refugeremus.

His incitamentis commoti Superiores nostri, vix tamen ad vastum illum laborem subeundum, ut erant perspicaces, adduci potuere; rati, id quod docuit eventus, rem esse aleæ ac difficultatis plenam, cujus, si minus ea succederet, incauta et imprudens molitio nobis probro verteret; si bene, invidia forte in nos redundaret. Deinde temerarium videbatur, secundum Lovanienses Theologos doctissimos, de Augustino, totaque republica christiana optime meritis, novam sancti Doctoris Operum editionem meditari: quippe vix fieri posse, ut a nobis eorum diligentia æquaretur, nedum superaretur.

Ad hæc recurrebant animo veteres controversiæ ac rixæ, quæ ex sancti Doctoris scriptis et doctrina identidem in Ecclesia excitatæ fuerant; verebanturque illi, ne, dum Ecclesiæ hoc fratrum suorum labore consulere optarent, novarum altercationum semina inde orirentur, uti experientia non semel probatum est: nempe quod tanti viri doctrina et humano ingenio captu sit difficilis, et mortalium cupiditati ac superbiæ parum favens et accepta.

Verum has aliasque difficultates prorsus discussit ac removit summa dignatio Ludovici Magni, qui novam hanc editionem augustissimo suo nomine illustrari, ac patrocinio regio muniri permisit.

Accessit insuper amplissimum Regis privilegium in gratiam novæ editionis, illustrissimi Franciæ cancellarii Michaelis Tellerii auctoritate, regioque edicto assertum, reclamantibus et obsistentibus incassum nonnullis bibliopolis, quos occulti quidam adversarii ad avertendum novæ editionis propositum clanculum instigabant. Tantis fulti præsidiis, nullum obicem insuperabilem, nullam invidiam nobis formidandam esse existimavimus.

Jam vero ne hoc consilium nimis audax ac temerarium videretur, præiverat exemplum Petri Morini Vaticanæ typographiæ præfecti, aliorumque almæ Urbis eruditorum virorum, Adriani abbatis, atque Obrii doctoris

Parisiensis, et aliorum, qui primum Sixto V, dein Clemente VIII, summis Pontificibus, novam sancti Augustini commentationum editionem post illam Lovaniensem aggressi fuerant, rati scilicet egregios esse Vaticanos libros, quos Lovanienses minime consuluerant, magnumque eorum esse numerum, unde variæ lectiones exciperentur; *pleraque item, quæ in Lovaniensibus libris, quantumvis accuratis, desiderantur, unde hæc editio christianæ doctrinæ lucem allatura sit*, ut Petrus Morinus scribit in epistola decima quinta ad cardinalem Cajetanum, qui prædicto consilio plurimum suffragabatur. Factum est: collati sunt Lovanienses libri cum codicibus Vaticanis perquam accuratissime, et ad marginem appositæ variantes lectiones ad editionem adornandam, cui cardinalis Veronæ sacri Collegii princeps præfectus fuit. Verum cum res effectum caruisset, omnes illæ variationes jussu Clementis X Pontificis a piæ memoriæ cardinale Bona nobiscum communicatæ sunt, ut iis nova nostra editione uteremur.

Comparatis itaque eam in rem his et aliis undequaque veterum codicum subsidiis, cum e nostris, tum ex alienis bibliothecis, continuo manus operi admovimus, adhibitis ad conferendos codices pluribus sodalibus nostris, non solum in sancti Germani Parisiensi, sed et in aliis aliarum provinciarum Congregationis nostræ monasteriis; ac demum intra viginti circiter annorum spatium, non sine multis expensis et curis, certe maximo cum labore, tota hæc editio, Deo favente, omnino absoluta est, et ab omnibus nullo præjudicio affectis, eo plausu ac successu accepta, qualem nec sperare poteramus.

Ut vero munus nostrum impleremus, et publicæ de nobis expectationi pro modulo responderemus, quatuor præcipua in nostra editione præstare conati sumus: videlicet ut hæc accurata esset, commoda, rite illustrata, nullisque partium studiis addicta.

Ut esset quam maxime accurata, tres conditiones nobis necessariæ visæ sunt: nempe ut contextui genuina integritas ad veteres codices et sinceriores editiones restitueretur; ut certa et germana sancti Doctoris opera secernerentur a dubiis et spurii; et ut editio ipsa a typographicis mendis, quantum in nobis esset, repurgata prodiret.

Ut vero perquam commoda redderetur, quatuor potissimum a nobis curata sunt: nimirum operum ordo, sectiones, summaria, et indices. Ordo, ut secundum tempus quo singula opera ab Augustino scripta fuere, disponerentur: quo fit, ut lector cum Augustino ipso sensim progrediatur et proficiat, et priorum cognitio ad posteriora intelligenda lucem præferat; quo de ordine plura inferius dicturi sumus. Sectiones, ut non modo capitulis veterum editionum, quæ subinde prolixiora erant, cujuslibet operis contextus et corpus distinguatur; sed etiam ipsa capita in minutiores dividantur sectiones, numericis distinctas notis: tum ut indicata cujuslibet operis sectione facilius inveniatur indicatus locus: tum etiam ut in legendo his veluti intervallis et morulis lectoris levetur labor et attentio. Ad hæc etiam juvant summaria non modo contextus, ad marginem singulis passim sectionibus apposita, quæ summam rei, qua de agitur, paucis exhibeant; sed etiam omnibus libris et plerisque capitulis præmissa, quæ argumentum cujusque libri et capituli breviter explicant. Illa vero summaria marginalia ex ipsis contextus verbis, quoad ejus fieri potuit, expressimus, vel ipsa Lovaniensium summaria relinimus.

Ad Indices quod attinet, quorum commoda et utilitates nemo non novit, non tantum singulos singulis tomis, et quidem uberrimos, subjicere curavimus; verum etiam generales seu universales in posteriori hocce volumine contexuimus, ut uno conspectu tota Augustini doctrina de quovis argumento facilius indagari possit.

Quod attinet ad ordinem a nobis in hac editione institutum, ejus rationem reddere non admodum operosum fuerit. Nam totius illius ordinis tenor adeo naturalis et genuinus videtur, ut sufficiat ad eum probandum nuda ejus expositio.

In primo tomo, præmissis duobus Retractationum libris et tredecim libris Confessionum, quæ subsequentium operum veluti præludia sunt, subsequuntur ea Opuscula, quæ sanctissimus Doctor adhuc catechumenus, aut nondum presbyter elucubravit.

Succedunt in secundo tomo Epistolæ, numero ducentæ septuaginta, secundum ordinem temporum, quoad fieri licuit, dispositæ, et in quatuor distributæ classes. In prima reponuntur illæ epistolæ, quas Augustinus nondum episcopus scripsit: in secunda, quas jam episcopus, ante Collationem Carthaginensem et ante detectam in Africa Pelagii hæresim dictavit: in tertia, quæ ab eo tempore ad ipsius obitum scriptæ sunt: in quarta denique, quarum tempus minus compertum est. Cur autem receptum Epistolarum ordinem mutaverimus, quidve in commodum lectorum a nobis huc præstitum sit, docet ipsius tomi peculiaris Præfatio.

In tertio tomo continentur Opuscula exegetica, secundum Scripturarum ordinem disposita, præfixis in ipso tomi limine quatuor libris de Doctrina Christiana, quos subsequentium Opusculorum fundamentum esse nemo nescit.

Rejectæ sunt in tomum quartum Enarrationes in Psalmos.

In tomo quinto habentur Sermones ad populum, in quatuor tributi classes, nimirum in Sermones de Scripturis Veteris et Novi Testamenti, in Sermones de Tempore, de Sanctis et de Diversis: quibus in quinta classe Sermones dubii accedunt.

Tomus Sextus Opera moralia comprehendit cum aliquot Quæstionum libris.

Ab hinc incipiunt Opera polemica, quorum primas tenent in tomo septimo libri viginti duo de Civitate Dei, contra Paganos.

Tomus octavus, præmisso in fronte libro de Hæresibus, exhibet opera polemica adversus Judæos, Manichæos, Priscillianistas, et Arianos : quibus Opusculis adjuncti sunt libri quindecim de Trinitate.

Tomus nonus continet Opera polemica contra Donatistas.

Denique tomus decimus Opera itidem polemica contra Pelagianos : quibus scriptis subjunguntur varia monumenta, quæ ad ea illustranda possunt conducere. Hactenus de ordine.

Jam vero illustrandis sanctissimi Patris operibus Præfationes singulis tomis præmittere necessarium duximus, in quibus res potius historicas, quam dogmaticas explicare studuimus, ad juvandam lectorum industriam. Ad hæc plerisque opusculis Admonitiones præfiximus ad explicandum eorum argumentum. Insuper breviores subinde notulæ in margine inferiori a nobis appositæ, quibus vel variantes lectiones indicentur, vel obscura loca, maxime aliorum locorum comparatione, explanentur.

In his omnibus id alte nobis animo infixum fuit, et a Præpositis nostris inculcatum, ut partium studia in explicanda Augustini doctrina sedulo caveremus. Quæ res in causa fuit, ut a prolixioribus commentariis et observationibus, abstinuerimus, ut ne cuiquam vel minimum offendiculi præberemus, ullive catholicorum theologorum sententiæ præjudicarem.

Verum quantumvis id curaverimus, curandumque mandaverint Præpositi nostri; difficile tamen fuit, ut ne quid in tam vasto opere nobis incaute non subreperet, vel, ut sunt mortalium animi varie affecti, ne quid secus quam intenderemus, in sequiorem partem non acciperent nonnulli. Et re quidem ipsa sic accidit.

Nam etsi plerique omnes nostram editionem accuratam, commodam, satisque illustratam, denique Augustinianæ doctrinæ omnino consentaneam esse censuerint, eamque his nominibus suffragio suo comprobaverint; insurrexere tamen contra, post decem fere annos ab edito ultimo tomo, anonymi quidam censores, qui furtivis scriptis hanc editionem, et tantum non fidem nostram suspectam reddere moliti sunt.

Ejusmodi scriptiunculis in vulgus sparsis, commune prudentium fere omnium consilium fuit, ut leviores id genus libellos aspernaremur : quippe non decere, ut cum larvis et umbris luctaremur, ne respondendo pondus et auctoritatem furtivis illis libellis præberemus : nec Ecclesiæ pacem editis ultro citroque, ut fit, scriptionibus perturbarem. Hoc consilium unanimi assensu comprobavere Præpositi nostri : quod tamen minime impedivit quominus, illis inconsultis, quidam e nostris novam sancti Augustini editionem defendendam tuendamque pro virili susceperint : ex quibus unus, qui tum Romæ versabatur, hujus editionis Vindicias in alma Urbe, sub auctoritate sacri Palatii Magistri, Romanis approbantibus vulgavit.

Jam eo res devenerat, ut furtivæ illæ utrarumque partium velitationes in apertum fere bellum prorumperent, cum Præpositi nostri, mutato demum pro rei statu consilio, eandem editionem approbata ab se publica scriptione, Congregationis nostræ nomine, adversus latentes adversarios palam propugnandam censuerunt. Jamque propemodum affecta, typisque parata erat hæc scriptio, quæ et editionem, et fidem nostram ab iniqua suspitione et criminatione, tametsi privati quidam e nostris id jam satis præstiterant, omnino vindicaret.

Verum dum id meditaremur, his jurgiis intercessit Ludovici Magni auctoritas, qui, ut Ecclesiæ paci ab se conciliatæ indefessa sollicitudine semper invigilat, gliscenti in dies dissensionem, imperato utrisque partibus silentio, modum imposuit : sicque tanti Principis auctoritate repressa est ardens illa contentio, quæ sopitos jamdudum ignes excitatura videbatur. Hanc autem redintegrare, cum longe abest a moribus nostris, tum vetat in primis summa nostra erga Regem, regiaque jussa obtemperatio : dein Ecclesiæ pacis studium alte animis insitum nostris : denique charitas adversus omnes, quos turbulentis ejusmodi concertationibus offendere nobis religio fuerit.

Suppressis itaque, quæ ad nostram nostræque editionis defensionem adornatæ erant, commentationibus, ad objecta adversariorum respondere supersedimus, ne respondendo novas contra mandata regia lites serere videremur.

Verum ne forte adversariorum iniquæ criminationes piorum quorundam et benevolorum etiam virorum animis quosdam scrupulos ingeneraverint; hos paucis verbis curare in animum induximus, rati, id neque regie jussioni, neque Ecclesiæ paci contrarium, imo utrique omnino consentaneum fore. Etsi enim nihil non catholice, certe nihil non catholico animo a nobis dictum sit; malumus tamen dare aliquid teneræ ac piæ illorum circa fidem affectioni, quam superbo fastidio eorum scrupulos dissimulare. Aliorum vero, si qui erunt qui contentioso animo rixas denuo redintegrare pergant, dicas et cavillationes deinceps prætermitemus, et pro nihilo habebimus.

In primis toties repetita a nobis omnibus et singulis professio, qua Constitutionibus summorum Pontificum Innocentii X et Alexandri VII nos sincere et ex animo adhærere publice contestati sumus, nostram circa famosas quinque Propositiones fidem ab omni prorsus suspitione debet eximere. Si enim tot argumentis fulta fides in tuto non est, nulla erit a suspitione immunis; et si cui non sufficiat tam sincera professio, nulla alia quantumvis jurata, quantumvis explicatior sufficeret. Has quippe Constitutiones et ex primis cum debita reverentia et submissione exceperunt in comitiis suis generalibus Præpositi nostri, easque ab omnibus et singulis, qui in cœtum nostrum admittendi essent, subscribi præceperunt.

Parisiensis, et aliorum, qui primum Sixto V, dein Clemente VIII, summis Pontificibus, novam sancti Augustini commentationum editionem post illam Lovaniensem aggressi fuerant, rati scilicet egregios esse Vaticanos libros, quos Lovanienses minime consuluerant, magnumque eorum esse numerum, unde variæ lectiones exciperentur; *pleraque item, quæ in Lovaniensibus libris, quantumvis accuratis, desiderantur, unde hæc editio christianæ doctrinæ lucem allatura sit*, ut Petrus Morinus scribit in epistola decima quinta ad cardinalem Cajetanum, qui prædicto consilio plurimum suffragabatur. Factum est: collati sunt Lovanienses libri cum codicibus Vaticanis perquam accuratissime, et ad marginem appositæ variantes lectiones ad editionem adornandam, cui cardinalis Veronæ sacri Collegii princeps præfectus fuit. Verum cum res effectu caruisset, omnes illæ variationes jussu Clementis X Pontificis a piæ memoriæ cardinale Bona nobiscum communicatæ sunt, ut iis nova nostra editione uteremur.

Comparatis itaque eam in rem his et aliis undequaque veterum codicum subsidiis, cum e nostris, tum ex alienis bibliothecis, continuo manus operi admovimus, adhibitis ad conferendos codices pluribus sodalibus nostris, non solum in sancti Germani Parisiensi, sed et in aliis aliarum provinciarum Congregationis nostræ monasteriis; ac demum intra viginti circiter annorum spatium, non sine multis expensis et curis, certe maximo cum labore, tota hæc editio, Deo favente, omnino absoluta est, et ab omnibus nullo præjudicio affectis, eo plausu ac successu accepta, qualem nec sperare poteramus.

Ut vero munus nostrum impleremus, et publicæ de nobis expectationi pro modulo responderemus, quatuor præcipua in nostra editione præstare conati sumus: videlicet ut hæc accurata esset, commoda, rite illustrata, nullisque partium studiis addicta.

Ut esset quam maxime accurata, tres conditiones nobis necessariæ visæ sunt: nempe ut contextui genuina integritas ad veteres codices et sinceriores editiones restitueretur; ut certa et germana sancti Doctoris opera secernerentur a dubiis et spuriiis; et ut editio ipsa a typographicis mendis, quantum in nobis esset, repurgata prodiret.

Ut vero perquam commoda redderetur, quatuor potissimum a nobis curata sunt: nimirum operum ordo, sectiones, summaria, et indices. Ordo, ut secundum tempus quo singula opera ab Augustino scripta fuere, disponerentur: quo fit, ut lector cum Augustino ipso sensim progrediatur et proficiat, et priorum cognitio ad posteriora intelligenda lucem præferat; quo de ordine plura inferius dicturi sumus. Sectiones, ut non modo capitulis veterum editionum, quæ subinde prolixiora erant, cujuslibet operis contextus et corpus distinguatur; sed etiam ipsa capita in minutiores dividantur sectiones, numericis distinctas notis: tum ut indicata cujuslibet operis sectione facilius inveniatur indicatus locus: tum etiam ut in legendo his veluti intervallis et morulis lectoris levetur labor et attentio. Ad hæc etiam juvant summaria non modo contextus, ad marginem singulis passim sectionibus apposita, quæ summam rei, qua de agitur, paucis exhibeant; sed etiam omnibus libris et plerisque capitulis præmissa, quæ argumentum cujusque libri et capituli breviter explicant. Illa vero summaria marginalia ex ipsis contextus verbis, quoad ejus fieri potuit, expressimus, vel ipsa Lovaniensium summaria retinuimus.

Ad Indices quod attinet, quorum commoda et utilitates nemo non novit, non tantum singulos singulis tomis, et quidem uberrimos, subjicere curavimus; verum etiam generales seu universales in posteriori hocce volumine contexuimus, ut uno conspectu tota Augustini doctrina de quovis argumento facilius indagari possit.

Quod attinet ad ordinem a nobis in hac editione institutum, ejus rationem reddere non admodum operosum fuerit. Nam totius illius ordinis tenor adeo naturalis et genuinus videtur, ut sufficiat ad eum probandum nuda ejus expositio.

In primo tomo, præmissis duobus Retractationum libris et tredecim libris Confessionum, quæ subsequentium operum veluti præludia sunt, subsequuntur ea Opuscula, quæ sanctissimus Doctor adhuc catechumenus, aut nondum presbyter elucubravit.

Succedunt in secundo tomo Epistolæ, numero ducentæ septuaginta, secundum ordinem temporum, quoad fieri licuit, dispositæ, et in quatuor distributæ classes. In prima reponuntur illæ epistolæ, quas Augustinus nondum episcopus scripsit: in secunda, quas jam episcopus, ante Collationem Carthaginensem et ante detectam in Africa Pelagii hæresim dictavit: in tertia, quæ ab eo tempore ad ipsius obitum scriptæ sunt: in quarta denique, quarum tempus minus compertum est. Cur autem receptum Epistolarum ordinem mutaverimus, quidve in commodum lectorum a nobis huc præstitum sit, docet ipsius tomi peculiaris Præfatio.

In tertio tomo continentur Opuscula exegetica, secundum Scripturarum ordinem disposita, præfixis in ipso tomi limine quatuor libris de Doctrina Christiana, quos subsequentium Opusculorum fundamentum esse nemo nescit.

Rejectæ sunt in tomum quartum Enarrationes in Psalmos.

In tomo quinto habentur Sermones ad populum, in quatuor tributi classes, nimirum in Sermones de Scripturis Veteris et Novi Testamenti, in Sermones de Tempore, de Sanctis et de Diversis: quibus in quinta classe Sermones dubii accedunt.

Tomus Sextus Opera moralia comprehendit cum aliquot Quæstionum libris.

Ab hinc incipiunt Opera polemica, quorum primas tenent in tomo septimo libri viginti duo de Civitate Dei, contra Paganos.

Tomus octavus, præmisso in fronte libro de Hæresibus, exhibet opera polemica adversus Judæos, Manichæos, Priscillianistas, et Arianos : quibus Opusculis adjuncti sunt libri quindecim de Trinitate.

Tomus nonus continet Opera polemica contra Donatistas.

Denique tomus decimus Opera itidem polemica contra Pelagianos : quibus scriptis subjunguntur varia monumenta, quæ ad ea illustranda possunt conducere. Hactenus de ordine.

Jam vero illustrandis sanctissimi Patris operibus Præfationes singulis tomis præmittere necessarium duximus, in quibus res potius historicas, quam dogmaticas explicare studuimus, ad juvandam lectorum industriam. Ad hæc plerisque opusculis Admonitiones præfiximus ad explicandum eorum argumentum. Insuper breviores subinde notulæ in margine inferiori a nobis appositæ, quibus vel variantes lectiones indicentur, vel obscura loca, maxime aliorum locorum comparatione, explanentur.

In his omnibus id alte nobis animo infixum fuit, et a Præpositis nostris inculcatum, ut partium studia in explicanda Augustini doctrina sedulo caveremus. Quæ res in causa fuit, ut a prolixioribus commentariis et observationibus, abstinuerimus, ut ne cuiquam vel minimum offendiculi præberemus, ullive catholicorum theologorum sententiæ præjudicarem.

Verum quantumvis id curaverimus, curandumque mandaverint Præpositi nostri; difficile tamen fuit, ut ne quid in tam vasto opere nobis incaute non subreperet, vel, ut sunt mortalium animi varie affecti, ne quid secus quam intenderemus, in sequiorem partem non acciperent nonnulli. Et re quidem ipsa sic accidit.

Nam etsi plerique omnes nostram editionem accuratam, commodam, satisque illustratam, denique Augustinianæ doctrinæ omnino consentaneam esse censuerint, eamque his nominibus suffragio suo comprobaverint; insurrexere tamen contra, post decem fere annos ab edito ultimo tomo, anonymi quidam censores, qui furtivis scriptis hanc editionem, et tantum non fidem nostram suspectam reddere moliti sunt.

Ejusmodi scriptiunculis in vulgus sparsis, commune prudentium fere omnium consilium fuit, ut leviores id genus libellos aspernaremur : quippe non decere, ut cum larvis et umbris luctaremur, ne respondendo pondus et auctoritatem furtivis illis libellis præberemus : nec Ecclesiæ pacem editis ultro citroque, ut fit, scriptionibus perturbarem. Hoc consilium unanimi assensu comprobavere Præpositi nostri : quod tamen minime impedivit quominus, illis inconsultis, quidam e nostris novam sancti Augustini editionem defendendam tuendamque pro virili susceperint : ex quibus unus, qui tum Romæ versabatur, hujus editionis Vindicias in alma Urbe, sub auctoritate sacri Palatii Magistri, Romanis approbantibus vulgavit.

Jam eo res devenerat, ut furtivæ illæ utrarumque partium velitationes in apertum fere bellum prorumperent, cum Præpositi nostri, mutato demum pro rei statu consilio, eamdem editionem approbata ab se publica scriptione, Congregationis nostræ nomine, adversus latentes adversarios palam propugnandam censuerunt. Jamque propemodum affecta, typisque parata erat hæc scriptio, quæ et editionem, et fidem nostram ab iniqua suspitione et criminatione, tametsi privati quidam e nostris id jam satis præstiterant, omnino vindicaret.

Verum dum id meditaremur, his jurgiis intercessit Ludovici Magni auctoritas, qui, ut Ecclesiæ paci ab se conciliatæ indefessa sollicitudine semper invigilat, gliscenti in dies dissensionem, imperato utrisque partibus silentio, modum imposuit : sicque tanti Principis auctoritate repressa est ardens illa contentio, quæ sopitos jamdudum ignes excitatura videbatur. Hanc autem redintegrare, cum longe abest a moribus nostris, tum vetat in primis summa nostra erga Regem, regiaque jussa obtemperatio : dein Ecclesiæ pacis studium alte animis insitum nostris : denique charitas adversus omnes, quos turbulentis ejusmodi concertationibus offendere nobis religio fuerit.

Suppressis itaque, quæ ad nostram nostræque editionis defensionem adornatæ erant, commentationibus, ad objecta adversariorum respondere supersedimus, ne respondendo novas contra mandata regia lites serere videremur.

Verum ne forte adversariorum iniquæ criminationes piorum quorundam et benevolorum etiam virorum animis quosdam scrupulos ingeneraverint; hos paucis verbis curare in animum induximus, rati, id neque regie jussioni, neque Ecclesiæ paci contrarium, imo utrique omnino consentaneum fore. Etsi enim nihil non catholice, certe nihil non catholico animo a nobis dictum sit; malumus tamen dare aliquid teneræ ac piæ illorum circa fidem affectioni, quam superbo fastidio eorum scrupulos dissimulare. Aliorum vero, si qui erunt qui contentioso animo rixas denuo redintegrare pergant, dicas et cavillationes deinceps prætermitemus, et pro nihilo habebimus.

In primis toties repetita a nobis omnibus et singulis professio, qua Constitutionibus summorum Pontificum Innocentii X et Alexandri VII nos sincere et ex animo adhærere publice contestati sumus, nostram circa famosas quinque Propositiones fidem ab omni prorsus suspitione debet eximere. Si enim tot argumentis fulta fides in tuto non est, nulla erit a suspitione immunis; et si cui non sufficiat tam sincera professio, nulla alia quantumvis jurata, quantumvis explicatior sufficeret. Has quippe Constitutiones et ex primis cum debita reverentia et submissione exceperunt in comitiis suis generalibus Præpositi nostri, easque ab omnibus et singulis, qui in cœtum nostrum admittendi essent, subscribi præceperunt.

De cætero ultro profiteamur, nos sincere adhærere ecclesiasticis de Gratia Institutionibus, quas nuper ediderunt illustrissimi Archipræsules Carolus Mauritius le Tellier Remensis, et Ludovicus Antonius de Noailles Parisiensis; quorum ut dignitatem et auctoritatem veneramur, ita etiam doctrinam nos sequi palam agnoscamus et gloriamur.

Dum sic Romanis Pontificibus, aliisque Ecclesiæ præsulibus, quos Christus Dominus doctrinæ arbitros et iudices constituit, demissis animis obsequimur; nemini obscurum esse debet, nos penitus abhorrere a quibusvis partium studiis, et in edendo Augustino sic in ejus doctrinam intendisse animum, ut ejus verba et sententias sincere ac genuine repræsentaremus.

Atque ut ad singula veniamus : in contexendis marginalibus summariis ipsissima passim verba Augustini, et quidem Augustiniano sensu, adhibere curavimus.

Hinc est quod ubi Gratiae nomine in illis summariis usi sumus, id intellectum volumus ipso contextus sensu et Augustini, qui Gratiae Christi et Gratiae proprie dictæ nomine, maxime post exortum Pelagii errorem, gratiam veram et interiorē, qualem iste negabat, in primis vero illam quæ victrix est et efficiens, designare solet : quod intelligitur ex omnibus fere libris quos contra Pelagianos conscripsit; quales sunt libri de Gratia Christi, de Correctione et Gratia, et, ut alios omittamus, libri quatuor contra Duas Epistolas Pelagianorum, in quorum postremi capite quinto, gratiæ, quæ proprie gratia est, nomine interpretatur sanctus Doctor *inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus*. Ubi clarum est vocabulis *gratia quæ proprie gratia est*, vel *quæ propria gratia est* (ita enim variant manuscripti codices), interiorē gratiam propugnari, quam malo dolo et clanculum subvertere nitebantur novi hostes gratiæ, dum vel ad legem, vel ad dilutiora et exteriora subsidia ipsam revocarent. Mentem hanc fuisse Hipponensis Præsulis, liquido docet locus ipse quem attingimus : eodem nimirum capite notat, *Nusquam istos gratiæ inimicos ad gratiam vehementius oppugnandam occultiores moliri insidias, quam ubi legem laudant, Legem quippe diversis locutionum modis et varietate verborum, in omnibus disputationibus suis velle intelligi gratiam, ut scilicet a Domino Deo adiutorium cognitionis habeamus*. Hæc retulimus paulo prolixius, ut de mente sancti Doctoris apertius constaret, ad eamque regulam exigerentur loca complura, quæ ad marginem adnotare visum est editoribus.

Igitur ut tota ista res facilius explicetur, duo breviter animadvertere placet, quæ magni sunt momenti ad fidem nostram ab omni suspitione exsolvendam.

Primum est, quod jam ex Augustino insinuabamus, ipsum inter alia christianæ pietatis capita quæ sibi defendenda sumpsit, isti probando diligenter incubuisse, gratiam veram, interiorē, propriamque christianæ legis, et diversam ab lege, doctrina, illuminatione, quo solo genere gratiæ contentos nos volebat Pelagius, Christianis omnibus agnoscendam. Id vero ipsi propositum fuisse in diuturna contra Pelagianos concertatione, libri fere universi, ut ante notatum est, adversus ipsos editi loquuntur; sed in primis liber de Gratia Christi, tum textus supra relatus ex capite quinto libri quarti contra Duas Pelagianorum Epistolas.

Isti autem primæ observationi adjungenda est alia : nempe sanctum Præsulem sic dedisse operam probandæ gratiæ interiori generatim sumptæ, ut tamen creberrime memorarit speciem illam gratiæ, qua perfectior vegetiorque habetur, et quæ ab potiori virtute et ab effectu, quem ex natura sua certo consequitur, efficax appellatur. Id vero cur faceret sanctus divinorum auxiliorum præco, causas habuit veras et graves.

Primo, disputabat adversus homines, qui cum possibilitatem solam adjuvari a Deo dicerent, negabant voluntatem et actionem ab ipso perinde juvari. Errori autem isti confutando quid magis aptum, quam afferre illud auxilii genus, quo ipsa efficitur actio? Secundo, cum disputatio potissimum ferveret de christianæ pietatis operibus, iisque ad salutem necessariis; annon æquum fuit afferri gratias illas, quibus christiana pietas et bonorum operum fructus ex ipsa efflorescunt? Demum, uti jam diu notatum est ab doctissimo Petavio, viro Augustinianæ doctrinæ magis perito quam tenace, non raro veteres, sed præ cæteris S. Augustinus, cum de gratia verba faciunt, de ea loquuntur, *quæ plena est, perfecta, et in suo genere perfectissima* (*Dogm. Theol. t. 1, p. 749*) etc.; quod subinde vir eruditus argumentis aliquot et comparationibus approbat. Quanto magis igitur qui de divinæ gratiæ subsidiis data opera disputat contra eos qui virtutem illorum elevant, gratias operis sui efficaces in medium producere debuit?

Ad hæc si æquus lector intendat animum, haud difficulter ille probabit fidem et sedulitatem nostram, tum in prædicto summario ad librum quartum contra Epistolas duas Pelagianorum, tum in aliis plerisque marginalibus notis. Et ut de priore aliquid dicamus, notavimus ab Augustino gratiam dici *inspirationem dilectionis*. Quis vero ita esse neget, cum omnis gratia tendat ad dilectionem? Dein inspiratio alia efficax, alia inefficax. Nos, generatim ipsa verba sancti Doctoris usurpando, diximus gratiam esse inspirationem dilectionis. Ubi crimen? ubi malus animus? Si de inspiratione generatim sumpta noster auctor, nos itidem de ipsa : si de efficace, quod multo credibilius, perinde nos quoque de ista. Quemadmodum igitur gratiam Dei legem ipsam intelligi a Pelagianis advertimus ad illud ipsum caput, sic et gratiam ab sancto ejus defensore inspirationem dilectionis : quo scilicet interius auxilium opponeretur externo, quod unum Pelagiani admittere videbantur. Atque hac ipsa de causa gratiam proprie aut propriam vocat Augustinus, quoniam nec vera, nec propria erat Christi gratia, quam lege vel exteriori adjumento concludebant *liberi arbitrii inflatores*, ut aliquando ipsos vocat doctus Magister.

Cæterum ut solam gratiam victricem et actuosam vocabulis istis, quæ proprie gratia est, hoc loco et similibus designarit Augustinus, falso quis inde colligeret locum non relinqui ullis aliis adiutoriis, qualia sunt inefficacia et sensu Thomistarum sufficientia. Hujus generis gratias haud dubie agnoscit sanctus Præsul, nosque cum ipso veras et proprie dictas profiteamur. Nec refert quod rarior illi de istis posterioribus mentio, aut quod nominibus aliis ipsas plerumque appellet, scilicet quandoque *voluntatem parvam*, quandoque *parvam charitatem, minorem, invalidam, imperfectam*. Vocabula nihil de re ipsa detrahunt. Certe charitatem parvam et imperfectam in Petro de se præsumente donum Dei constanter vocat, libro de Gratia et Libero Arbitrio, capite decimo septimo. Ut omittam interim, quod omnis bona voluntas sancto Doctori non possit esse absque gratia: quod et ad oram codicis, ubi se tulit occasio, notare non prætermisimus.

Neque vero æquiori de causa lis adversum nos movetur, quod *universam divinæ gratiæ œconomiam* oculis subjici libro de Correptione et Gratia admonuerimus. Primo id mutuati sumus ab clarissimo et eruditissimo Augustinianæ doctrinæ vindice et interprete (a), cujus verba et sensum reddidimus. Secundo, nullo alio in opere majori cum luce explicuit Hipponensis Præsul discrimina hominis stantis et innocentis, et hominis lapsi et noxii. Tertio, causas perseverandi vel non perseverandi in utroque statu nusquam diligentius expressit. Denique prædestinationis æternæ circa electos inconcussam doctrinam admirabili compendio pertexuit in dicto libro. Cur igitur vitio vel crimini datur dici, hunc librum universam gratiæ œconomiam complecti? Ubi et obiter illud profiteamur, Opusculi ejusdem analyticam synopsis in sciiis Præpositis nostris publicatam: in quo flagitantium illam quorundam voluntati morem gerere se posse arbitratus est unus e nostris, cum tamen nec illi nec nobis consilium fuisset particulam istam universo operi præmittere, a cujus proposito alienam esse, et ad id quod agebatur minime pertinentem non inviti agnoscimus. Neque enim commentarios aut analyticas summas edere animus fuit in opera sancti Doctoris. Cæterum de prædictæ analyseos, quæ cum auctoritate olim prodierat, utilitate, pretio, fide, ad nos dicere non attinet; cum harumce rerum præsulum arbitrium esse debeat, non privatorum, quales sumus.

Post ea vero quæ diximus, morari quemquam non debet, sive quod libro de Correptione et Gratia, ad marginem capitis secundi, gratiæ efficaci nomen *gratiæ Christi* præcipua quadam ratione tribuisse visi sumus: sive quod in libro de Gratia Christi insinuaverimus eam esse *definitionem gratiæ Christi*, quam illic affert S. Augustinus, scilicet, *Inspirationem luminosissimæ et ardentissimæ charitatis*: sive demum quod ad caput decimum tertium ejusdem libri notatum sit, *Quod qui per gratiam didicit, agat omnino quidquid agendum didicit; et, Qui per gratiam didicit, venit; qui non venit, non didicit*. Hæc enim et alia hujusmodi, quæ gratiæ efficaci maxime conveniunt, dicta sunt absque detrimento alterius veræ et interioris gratiæ, sed effectu suo carentis, qualem post sanctum Augustinum schola Thomistarum propugnat. Hinc solius gratiæ victricis et maximæ inopiam aut subtractionem significare voluimus ad librum secundum de Peccatorum Meritis et Remissione, ubi cum sanctus Doctor inquit, *cur victricem delectationem non omnibus, vel non semper sanctis det Deus*; breviori forte compendio sententiam in margine sic expressimus: *Gratia cur non omnibus, vel non semper sanctis detur*. Ubi addita vocula *victricis*, offensionis ansam omnem ablatam cuperemus: licet Augustini sensu, eoque minime ambiguo, nomen gratiæ simpliciter pro efficaci gratia sumpserimus, cum et in sanctis et in peccatoribus cum sancto Antistite minores gratias, easque Thomistico sensu sufficientes, admittamus.

Revera ejus generis gratias passim experiuntur etiam peccatores, maxime in sua ipsorum conversione: multo minus justis eas denegat Deus; quippe qui justos *non deserit, nisi prius ab eis deseratur*. Hoc enim discrimen Augustinus inter Deum justificantem et medicum sanantem statuit, *quod medicus homo cum sanaverit hominem, jam de cætero sustentandum elementis et alimentis corporalibus, ut eadem sanitas apto subsidio convalescat, Deo dimittit*. At Deus postquam impium justificaverit, *eum non deserit si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur*, inquit sanctus Doctor in libro de Natura et Gratia, capite vigesimo sexto.

Cum his itaque subsidiis justus perseveraret, si vellet: quod vero nolit, ejus culpa est, tametsi nunquam plene et efficaciter volet, nisi ampliori et fortiori gratiæ adiutorio fulciatur.

Ex his facile intelligitur, sinceram in Deo esse omnes salvandi homines voluntatem: quam voluntatem etsi aliquando ad electos, aut ad genera singulorum restringere videatur Augustinus, ut Pelagianorum pravis quibusdam in hoc capite sensibus occurrat: non tamen improbat alio quolibet sensu voluntatem istam explicari, *dum tamen credere non cogamur*, inquit, *aliquid omnipotentem Deum fieri voluisse, voluntate nimirum absoluta, factumque non esse* (Ench. c. 103). Unde alio loco generalem quamdam Dei de omnium hominum salute voluntatem non obscure innuit, cum docet, *Sic velle Deum omnes homines salvos fieri et in agnitionem veritatis venire, ut tamen non adimat eis liberum arbitrium, quo bene vel male utentes justissime judicentur: quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno et summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt*. (De Spir. et Litt., cap. 33).

De præceptorum possibilitate tot et tam aperta sunt sancti Augustini testimonia, ut ea huc afferre otiosum fuerit: negat tamen ea possibile esse ad mentem Pelagianorum, qui ea solis naturæ viribus, absque interioris

(a) Eminentissimus cardinalis Norisius, Historiæ Pelagianæ libro 1, pag. 143, editionis Patavinæ anni 1673.

gratiæ auxilio, possibilia esse contendebant. Hinc manifestum est cuius sincero et æquo lectori, quo sensu dixerimus in sectione septima Præfationis ad tomum septimum, Bedam in Commentariis super Cantica canticorum commonstrasse reconditum virus in locis Pelagianæ ad Demetriadem epistolæ, cum in aliis, tum in his ejus verbis, *quod Deus nec impossibile aliquid potuit imperare, qui justus est; nec damnaturus est hominem pro eo quod vitare non potest, qui pius est.* Quo in loco, cujus sensus jam aliunde satis exploratus erat, antidotum adhibere necessarium non duximus, ad præcavendum abusum illius effati, quod sine dubio verum et catholicum est tum apud beatum Augustinum, tum apud universos fidei catholicæ cultores. Quin etiam in Appendice ejusdem tomi integrum Bedæ locum retulimus, qui duplicem ejus effati sensum diserte exprimit: quanquam et vellemus illum utrumque in præfatione ipsa repræsentatum, ut vel levissimam offenculi occasionem amoveremus.

Nos quoque, ut Catholicos decet, liberum in homine etiam lapso arbitrium incunctanter agnoscimus, et hujus catholicæ veritatis assertorem Augustinum secuti, cum ipso et omnibus Catholicis sentimus, voluntatem hominis sufficere sibi ad malum, non vero ad bonum absque gratia: cum e contrario Pelagiani asserebant, integram nec peccato primi hominis vitiatam libertatem æqua lance ferri sive ad bonum, sive ad malum. Hinc cum sancto Antistite notare et rejicere libuit libertatis definitiones a Juliano in gratiæ præjudicium adductas, quibus æquilibris ad bonum et malum facilitas statuitur. Ubi tamen ingenue profiteamur, de libero arbitrio secundum se spectato forte parvam aut nullam inter Catholicos et Pelagianos exortam esse quæstionem.

Non absimili cautione cum beato Antistite repudiavimus Julianæ peccati definitiones, quoniam mala mente proferebantur, scilicet in damnum gratiæ ad vitanda peccata necessariæ, et in incrementum liberi arbitrii. Julianus nempe peccatum aiebat, *a quo abstinere liberum est*, ea videlicet libertate, cui nihil ex se desit ad vitandum peccatum. Quæ tamen definitio si ab alio proferretur, quam ab doloso hæresiarcha, non esset de ipsa tantopere litigandum.

Sed utcumque disputarit Hipponensis Antistes cum Juliano de libertatis et peccati definitionibus, illud nobis omnino certum, indifferentiam activam, sive libertatem, ut vocant, contradictionis ad agendum vel non agendum, sive etiam ad merendum et demerendum in homine lapso, constanter agnitam et probatam a sancto Antistite; sive in bonum ex gratia victrici voluntas feratur, sive ad malum ex se ipsa et proprio defectu. Atque istud fidei catholicæ dogma tum ante, tum post exortam Pelagii hæresim ex æquo professus est clarus gratiæ defensor: Et quidem de peccato agens, libro tertio de Libero Arbitrio, capite decimo octavo: *Quæcumque ista causa est voluntatis, inquit, scilicet malæ, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest?* Scimus quidem librum hunc a sancto Doctore scriptum fuisse ante ventilatam de gratia controversiam contra Pelagianos. Verum cum hic locus a Pelagio ipsi objectus fuisset, agnoscit verba sua, nec ea improbat, modo intelligatur posse caveri peccatum cum gratia Dei; nec prorsus eadem conditione censeantur quæ ita peccata sunt, ut sint etiam pænæ peccati (*De Nat. et Grat., n. 80*). Hæc enim quanquam libere committantur, attamen non ea libertate qua cætera, quæ ante omne peccatum committi potuerunt. Hac igitur adhibita cautione admittit S. Augustinus in ipso actu peccati veram ad non peccandum potentiam, id est activam indifferentiam, qualem in bonis actibus ex gratia factis admisit.

Non recessit ab ista doctrina sanctus Episcopus, sive primis, sive postremis contra Pelagianos operibus, quam cum Pelagio et Juliano decertans apertissime propugnat. Neque vero necesse est super ea re locorum indicem contexere, qui jam ab aliis est confectus. Id solum observabimus, liberum nonnunquam latiori et generaliori significato ab Augustino usurpari pro voluntario etiam necessario: quo sensu amorem justitiæ in Deo, et innatum in homine beatitudinis generatim sumptæ desiderium, liberum esse dixit, id est voluntarium. Quapropter in libro de Natura et Gratia, allato Pelagii hoc dicto, *Voluntatis arbitrio ac deliberatione privari quicquid naturali necessitate constringitur*, id non omnino probat S. Augustinus, dum subdit, *Et hic nonnulla quæstio est.* Quo loco significat nimis diffuse et indistincte, imo etiam inconsiderate, locutum esse Pelagium, atque in ejus dicto nonnihil adhuc superesse quæstionis, eo quod non id omne quod voluntatis arbitrio ac deliberatione privatur, naturali necessitati obnoxium sit: quippe id absurdum, nec satis accurate aut provide dictum esse, probat exemplo innati in nobis beatitudinis appetitus, et voluntatis justitiæ in Deo; quod utrumque necessarium est, sic tamen ut suo quodam modo ad voluntatis arbitrium, saltem quoad hujus exercendi modum, pertinere posse videatur. Unde verbis ipsius contextus adherentes, eo loco ad marginem apposuimus hoc summarium: *Necessitas non pugnat cum arbitrio voluntatis.* Durius quidem id aliquibus dictum videri posset, nisi ex ipso contextu satis intelligeretur, illic voluntatis arbitrium, si ad rem ipsam attendas, sumi pro ipsa voluntate, sive pro voluntario. Quanquam et dici posset, cum hic Augustinus nolit tantum quavis necessitate perimi in homine liberum arbitrium, contra quod volebat Pelagius; cautius fortasse futurum fuisse summarium adjectione unius vocis, in hunc modum, *Non quævis necessitas pugnat cum arbitrio voluntatis.* Revera enim necessitas infallibilitatis non adversatur veræ libertati, ut plerisque in locis S. Augustinus explicuit, qui et vocabulum necessitatis non raro usurpavit pro vehementi quadam propensione ex naturæ vitio

orta : quo sensu in homine post lapsum non veretur agnoscere *duram peccandi necessitatem*; sed quæ sit generalis duntaxat : quoniam in præsentī conditione omnia et singula, etiam levia, peccata vitare homo non potest ob naturæ infirmitatem; vel quæ sit moralis tantum, et fere similis isti necessitati, quam affert prava consuetudo crebris actibus progenita. Ea vero consuetudine simplicem et absolutam inferri necessitatem non existimarunt S. Augustinus aut Julianus, quod ex utriusque disputationibus promptum foret ostendere.

Occasione autem loci superius adducti, non ab re fuerit observare, vulgatum Augustini ex libro de Correctione et Gratia, capite undecimo, effatum ad manuscriptos codices a nobis emendatum fuisse in hunc modum : *Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti Bono*: ubi superiores etiam Lovaniensium editiones habent *nihil est*. Quod etsi Augustinus habet in Epistola centesima octogesima sexta, ad Paulinum, numero trigesimo quarto, ubi ait, *sine gratia ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere*; priori tamen loco, qui ex libro de Correctione et Gratia desumitur, melius quadrat *parum* quam *nihil* : siquidem illic agitur de primo homine innocente, quem Deus noluit esse sine gratia, quam libero ejus permisit arbitrio; quoniam *liberum arbitrium*, ait sanctus Doctor, *ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti Bono*. Certe ut dici possit de hominis lapsi libero arbitrio, quod ex se absque gratia nihil sit ad bonum operandum; minus congrue dici posse videtur de homine innocente, cujus liberum arbitrium, utpote sanum, ad bonum sine ullo obice ferri poterat.

Hæc minutiora persecuti sumus, ut *verborum controversias auferamus* (*De dono Persev. n. 11*). Quanquam eorum, qui veterum Patrum opera recensere student, misera esset conditio, si in ipsas etiam notas eorum marginales, ut contra nos in hac editione actum est, impune animadvertere, et singulas earum syllabas ad severam immitis censuræ trutinam discutere quibusvis iniquis censoribus liceret. Quotus enim quisque est, qui in re tam lubrica et difficili non aliquando vel leviter cespitet; qui sententiam auctoris semper ad apicem assequatur, aut perfecte reddat; qui denique tam brevi verborum compendio pagellam quandoque integram ad amussim explicare possit?

Verum quantumvis injusta futura sit quorundam in nos hominum censura, institutum nihilominus nostrum, Deo favente, constanter persequemur : et si quidem nobis esse molesti pergant, illud nobis solatio erit, quod eadem sors olim contigerit veris Augustini discipulis, in primis Cæsario Arelatensi episcopo, cujus fides ob prædicatam sanctissimi Viri doctrinam a quibusdam obtrektoribus infamata est.

Hinc collecta Valentianæ synodus episcoporum, quibus Cæsarius fidem suam approbavit. Quia etiam Bonifacius Pontifex Romanus, *calcata jurgantium malevola intentione, prosecutionem sancti Cæsarii apostolica auctoritate firmavit*, ut Cyprianus Tolonensis antistes in ejus Vita tradit.

Quanquam melius fortasse nobis de hominum æquitate sperandum sit. Forte enim, ut verbis Augustini utamur, si qui aliter senserint, *quando secum ipsi paululum sine certandi studio cogitaverint, quam sit absurdum nec dignum disputatione quod dicunt, continuo sententiam commutabunt. Quod si noluerint, non usque adeo de humanis sensibus desperandum est, ut metuamus ne hoc cuiquam persuadeant* (*De Peccatorum Meritis lib. 1, n. 22*).

Quid jam nobis aliud restat post diuturni ac laboriosi operis optatum finem, quam ut tutelam ac præsidium illustrissimorum Gallianæ antistitum demisso, sed alacri tamen, animo deposcamus?

Scilicet cum admirabili divinæ Providentiæ consilio factum sit, ut sanctissimi Ecclesiæ doctoris Augustini novæ operum editioni suprema tum a nobis imponeretur manus, cum ad generalia Comitia ex omnibus Regni partibus una convenirent ad fanum sancti Germani : nihil nobis opportunius, fortunatiusve contingere potuit, quam ut eos appellarem qualiscumque laboris nostri iudices et arbitros, qui et dignitate sua constitui sunt a Deo pastores ad regendam Ecclesiam, et ad catholicæ doctrinæ sacrosanctum depositum vigili cura apostolicæ auctoritate tutandum.

Atque hoc præcipue nomine, Illustrissimi Ecclesiæ Principes, Augustinum adducimus ad vos, qui totus quantus est, sub unius veluti tabellæ conspectu oculis vestris contemplandus objicitur. Neque vero conspectum vestrum reformidare potest veteris et avitæ fidei propugnator acerrimus, qui causam Ecclesiæ toties a se defensam, majorum quoque vestrorum præsiidiis toties suffultam haud ignorat, quam et a vobis, qui ipsorum vestigiis lubenter insistitis, non dissimili animo atque studio sperat hodie propugnandam.

Hinc in nobis oritur non dubia spes, vos nuper elaboratæ Augustinianorum operum editioni propitios fore; neque vestrum illius viri lucubrationibus defuturum patrocinium, quem *specialem fidei patronum* (*S. Prosp. epist. ad. August. n. 1*) vos universi cum beato Prospero incunctanter agnoscitis.

Nihil hic necesse est a nobis commemorari, quanta fuerit olim Gallicanorum cum Romanis præsulibus consensio in sancti Viri commendandis operibus. Exstant tum Sedis apostolicæ Pontificum Innocentii, Cælestini et aliorum; tu Gallicanarum synodorum Arausicanæ, Valentianæ et aliarum consignata litteris monumenta, quibus Hipponensis Antistes et inter optimos Ecclesiæ magistros annumeratur, et tanquam antiquæ fidei custos integerrimus ex omnium communi voce et sensu declaratur.

Isthæc æquissima veteris Ecclesiæ judicia de sancti Præsulis doctrina et fide ut animos addidere nobis ad immensi laboris onus subeundum, ita effecere ut ea qua par erat religione doctissimi Antistitis scripta attingeremus; pia nimirum sedulitate religiosaque cautione opus esse rati, ut qua mente, quo consilio, qua fide primum profecta essent ex sanctissimi Doctoris ore et manu utilissima opera, rursus ederentur a nobis pari

fide, animo atque proposito, in universalis Ecclesiæ decus, commoda, atque præsidium.

Quis conatum nostrorum in tam arduo incepto fuerit successus, palam edicere cum vetat pudor, tum pene universorum in Ecclesia ordinum, in primis vestrum omnium benignissima de illo judicia. His amplissimum labori nostro præmium, certe expectatione nostra et merito nostro longe majus, non sine grati ac demissi animi tacita significatione experti sumus.

Istis autem bonarum vestrarum voluntatum testificationibus freti atque confisi, querimonias obtreptantium nonnullorum facile insuper habuimus. Id enim nobis certo persuasum fuit, navatam a nostris in Augustino illustrando operam calculis universorum comprobendam, cum iis placuerit, penes quos istarum rerum et iudicium et arbitrium esse universi confitentur.

Neque vero expectatio ista nos fefellit. Novum ecce et ingens operi nostro præsidium accedit ex nupera per apostolicam Sedem damnatione libellorum quibus invidia gravare nos moliebantur haud æqui laborum ac fidei nostræ æstimatores. Palmarium adversus istos defensionis nostræ incrementum afferet augustissimi Cœtus vestri auctoritas et suffragium : atque hanc communis vestræ sententiæ atque iudicii significationem eo impensius liberiusque deprecamur, quo totum hoc vigiliarum nostrarum opus sub Ludovici Magni auspiciis, regioque insignitum nomine publicam in lucem emisimus.

Quod si religiosissimi Principis in recognoscendo isto munere benignitati et humanitati addideritis commendationis vestræ pondus, erit omni præsidii genere vallatum opus, quod nec ulla delebit ætas, nulla lacessere in posterum audebit manus atque protervia : pro quo insigni favore atque benefacto, Clarissimi sanctæ Religionis Antistites, et vobis singulis, et universo Sacrosancto Ordini vestro acturi atque habituri sumus immortales gratias.

IN APPENDICES AUGUSTINIANAS

ET ALIA HOC IN VOLUMINE CONTENTA

BREVIS PRÆFATIO

Quandoquidem seorsum et in angulum rejecta sunt spuria illa Opuscula, quæ variis temporibus S. Augustino supposita fuere ; eundem quoque modum et ordinem hoc loco tenere visum est, adeoque peculiarem ejusmodi scriptis Præfationem assignare a generali sejunctam, quæ operæ in hac etiam parte a nobis impensæ rationem contineat : tum ut ne quis ea a nobis neglecta fuisse forte suspicetur ; tum ut lector ad eorum lectionem informetur, moneaturque de aliis rebus, quæ in hoc postremo volumine continentur.

Ut ad rem veniamus, singulæ singulis Augustini tomis subjiciuntur Appendices, eas complectentes scriptiunculas, quas vel stili quædam imitatio, vel argumenti affinitas, vel casus, vel temporum ignorantia, vel denique fraus auctorum bibliopolarumve Augustino affinxit. Ex stili nonnulla imitatione factum putamus, ut Cæsarii Arelatensis episcopi plurimi sermones Augustinianis accenserentur. Quod vero Pelagii ad Demetriadem epistola, et Fastidii ad Fatalem viduam de Vidua christiana liber sancto Doctori adscriptus sit, haud scio an argumenti affinitate, an dolo contigerit auctorum, qui vel ut scriptioni suæ auctoritatem pretiumve accerterent, vel quod nomini diffiderent suo, tanti nominis titulum supposuerint. Non aliud certe in causa fuit, cur editores et bibliopolæ subdititiis illis scriptis idem nomen præfixerint, nimirum ut majoris pretii haberentur, et carius venirent spurie illæ merces. At fatendum est casu vel temeritate amanuensium et editorum plerumque factum fuisse, ut hoc specioso titulo ejusmodi adulterina opuscula honestarentur. Nam sæpius contigit, ut cum librarii aliquos Augustini libros exscripsissent, nec eis ex sancto Doctore suppeteret unde æquum volumen conficerent ; ex quovis anonymo opere, quod fortuito esset ad manum, supplerent quod justo volumini deesset. Idque subinde ansam præbuit tum exscriptoribus, tum incautis editoribus, ut posteriora hæc opera eidem auctori adscriberent, cujus nomen priora præferebant. Quæ res eo usque progressa est, ut nullum fere sæculum sit, ex quo adulterinæ ejusmodi aliquæ scriptiones genuinis Augustini operibus non accesserint.

Hinc natum est triplex incommodum : unum quod genuinorum ejus operum dignitas et lectionis gratia ex hac farragine nonnihil miaueretur ; alterum, quod inde traditionis veritas quodammodo etiam obscuraretur, dum posteriorum temporum scripta ad superiorem ætatem pertinere putantur ; tertium denique, quod suppositi illi fetus incautos lectores inducant ad sectandas sinistras opiniones, quas splendido Augustini nomine oblectas deprehenderint. Quapropter ut his incommodis occurreretur, ejusmodi spurias scriptiones a genuinis et sinceris Augustini Operibus segregare, et in angulum quemdam rejicere plurimum iuterat.

Hoc negotium ab eruditis nonnullis primum inchoatum, a Lovaniensibus deinde, tum a Joanne Verlino et a Bernardo Vindingo, Augustinianis, multum promotum, et magna ex parte confectum, necdum tamen penitus